175

2114.

Cum invida fata
VIRI Spectabilis, atq; Consultissimi

DN. JOHANNIS KRÜGERI,

Judicii Palæopolitani Assessoris & Scholarchæ bene meriti,

FILIUM,

Gymnasiiq; delicium

JOHANNEM HENRICUM,

inopinato, beato tamen obitu
XVI. Calend. Martii
surripuissent,

dolorem suum debitum testari voluit

Collegium Professorium Thoruniense.

Cum fovet Halcyone brumali frigore pullos
    fluctibus in mediis humida strata premens:
Non fragor auditur Boreæ, non sibilus Austri,
    gurgite sed placido tuta quiescit avis.
Dixeris, imperium pelagi cessisse volucri,
    ut sobolem vivam, se pariente, ferat.
Frigore sed sævo juvenes dum Musa ThorunI
    educat in Patriæ spemq; decusq; piæ,
Undiq; concutitur nostri pia Cymba Lycei
    fluctibus, atq; petunt monstra marina ratem.
Æolus horrisono lethæus perflat ab axe,
    spemq; cito multam claustra sub atra rapit.
Nil est constanti connexum tramite: secum
    mœstitiam variam gaudia, crede, vehunt.
Ut variant hyemem cum tristi frigore nimbi:
    sic mutat lethum pectora læta grave;
Aut velut instabili rota circumvolvitur axe:
    sic variat nostrum sors inimica scopum.
Ereptus nostris oculis *flos, gloria, splendor*,
    Gemma juventutis fulgida, Patris amor!
Amisit juvenem vera pietate coruscum,
    atq; spei multæ Gymnas & ampla domus.
Tu quisquis fueris sicco ne conspice vultu
    funera, quæ deflet *tristis uterq; Parens*.
Sint mœsto Patris cordi solamina præsto,
    quod Gnatus docta vivat in arce poli.

THORUNII,
Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.